



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

8. Dies Augusti. Totum quod es, illi debes, à quo totum habes. S. Bernard.  
serm. de 40. debit.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Arctat quippe nos ad retributionem dati accepta largitio. Ante usum enim, & munificentiam liberalitatis aliena liber est quispiam, beneficiorum sœnore non gravatus. Coguntur autem omnes ipsâ conscientia sua ad reparationem vicissitudinis, postquam ceperint debitores. Hinc audi salubria suadentem:

*Gratia quando datur, studeas ut restituatur.*

### 8. DIES AUGUSTI.

Totum quod es, illi debes, à quo totum habes. S. Bernard. serm. de 40. debet.

Gratitudo erga Deum.

**O** Homo, quàm immersus es undique Beneficentiâ Dei! Quidquid agit, beneficium est, & illud tuum est beneficium. Natura Dei idè est benefica; quia nihil extra se potest agere, quod non sit beneficium: & beneficium, quod uni confert; non solum illi, sed omnibus conferre necesse est. Velut lumina, ipse Pater luminum, diffundit sua munera; quia sine diminutione sui communicatur omnibus, & pro omnibus. Quidquid jaculatur Sol, lux est; omnes per illam videre possunt, nisi claudant oculos. Quidquid efficit Deus, beneficium est; & per illud omnes sibi prodesse possunt, nisi sint vel maligni, vel insani. Pulchrè de illis beneficiis S. Bernardus (a) *Ecce in januis est, qui fecit cælum & terram, & Creator tuus est, & tu creatura: tu servus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum. Totum ergò, quod es, illi debes, à quo totum habes: qui & te fecit, & benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem.* Non minùs nervosè S. Augustinus: (b) *Confiteor tibi*

(a) *suprà.* (b) *Soliloq. c. 28.*

tibi beneficia tua magna; quoniam eripuisti me de inferno inferiori semel, & secundo, & tertio, & centies, & milies, & ego semper ad infernum tendebam, & tu me semper reducebas.

II. Dedit se Deus optimo modo, in socium, in pretium, in cibum: obtulit se in viam, ut rectè ambules, in Magistrum, ut rectè credas; in vitam, ut mortem evadas. Hoc ipsum afferit S. Anselmus: (a) Imperat, ut Deus: terret, ut Dominus: protegit, ut custos: hortatur, ut Pater: docet, ut Magister: cohabitatur, ut frater: nutrit ut Mater: blanditur, ut amicus: amplexatur, ut sponsus: illustrat, ut Veritas: praevenit, ut Bonitas: se manifestat ut Lux: loquitur, ut Verbum: dulcorat ut Sapientia: salutemque praestat, ut vita. Tanta beneficia compensare velle, est benefactorem non satis cognoscere; compensare nolle, est eundem contemnere. Agnosce saltem, te totum quod habes Deo debere. Redde totum, quod es, & tamen necdum reddidisti, quod debes. Dedit se totum tibi: qui tantum laboravit, ut te lucraretur sibi. Cave oculis, cave auribus: attende ori, attende operi. Tua non sunt, Dei tui sunt. Furtum est, rapina est, quando aliis serviunt, quàm ei, à quo, & propter quem facta sunt. Audi igitur consilium, & sequere monitum S. Augustini discipulis: (b) Sicut nulla hora est, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar: sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea. Quid interim faciam? Ingratus esse non debeo, gratus esse non valeo. Faciam, quod mihi facere, est integrum, supplebo votis; quod non possum factis.

III.

(a) De Humil. c. 46. (b) Soliloq. c. 18.

III. Itaque opto tot corpora, quot sunt arenae in litore maris, tot animas, quot sunt momenta in tempore, eademque tibi in momenta singula offerre. Quod quidem, dum facio, quid quaeso tandem ad beneficia tua? Ah! tantum tibi debeo, quantum tu ipse vales: Gratum tamen me esse jubes. Eja ergo, mi Jesu, faciam, quod jubes; dabo, quod habeo, quod possum consigno tibi: quidquid in me est optimum, & solum meum, totam meam libertatem, & voluntatem, quam deinceps non ut meam, sed tuam utar: nihil cogitabo, amabo, desiderabo, quam, quod placitum est tibi. Maloque caecus esse, quam videre, quod oculis tuis displicet, mutus esse, quam loqui, quod aures tuas offendit: sine corde esse, quam te non amare: mori, quam tibi non vivere. Sed & haec, cum Deo obtuleris, quid ei offers, quod non sit magis ejus, quam tuum? Audi igitur, quid in hoc argumento dicit S. Bernardus: (a) *Cum ei donavero, quidquid sum, quidquid possum: nunquid istud sic est: sicut stella, ad solem: gutta, ad fluvium: lapis, ad montem: granum, ad acervum? Non habeo, nisi minuta duo, imò minutissima: corpus, & animam: vel potius unum minutum, voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus, tantillum tantis beneficiis praevenit: qui toto se totum me comparavit? O! quam praclare hic D. Anselmus: Certè Domine: qui me fecisti, debeo amori tuo meipsum totum, & quia me redemisti: Debeo ipsum totum, quia tantum promittis, me debeo meipsum: totum, imò tantum debeo amori tuo, plus quam meipsum: quantum tu es major me, pro quo dedisti te ipsum, & cui promittis teipsum. Age igitur gratias pro tot gratis. Da*

Q 9 5

aeternae

(a) Suprà.

618. *Christiani Militis* Augustus,  
æternæ Charitati, quidquid tibi in mundo est cha-  
rum, à quo habes, quidquid tibi est charum. Et me-  
mineris illius meriti :

*Pondus curarum facit hic, qui dat mihi charum.*

## 9. DIES AUGUSTI.

Semper illi gratias agere studeamus, à quo gratia  
gratis datur. *Sanctus Augustinus de verb. Dom.  
Sermon. 8.*

Dei in I.  
nos be-  
neficia.

**Q**uidquid accipimus à Deo,  
est gratia; quia datur gratis;  
unde omnis nostra respiratio  
deberet esse continua gratia-  
rum actio. Si ignoras Dei beneficia, accipe hic co-  
rum Catalogum, quo omnia rediguntur in fascicu-  
lum. Anima, creatione, Dei imago est; Redem-  
ptione, Dei ancilla est; Justificatione, Dei filia est;  
Adoptione, Dei hæres est; inhabitatione, Dei Tem-  
plum est, dilectione, Dei amica est; desponsatione,  
Dei sponsa est; adhesionem ad Deum, unus cum eo  
spiritus est, infusione gratiæ, Divinæ consors nature  
est; sanctitate, Dei Paradisus est, cui delitiæ sunt, esse  
cum filiis hominum. Hæc tanta beneficiorum cumu-  
lata congeries quid aliud clamat, quàm trina illa ver-  
ba: *Accipe: Redde: Cave.* Accipe, beneficium. Red-  
de, obsequium. Cave, supplicium. Beneficium, quod  
tibi in rebus omnibus conditis exhibet: Obsequium,  
quod ei, qui dedit tibi omnia, infinitis titulis debes:  
Supplicium, quod ut ingratus incurris, Deum agno-  
scens, nec ei gratias agens. Oportet ergò, Deum sine  
intermissione laudare, (a) *In prosperis,* (ait Augusti-  
nus)

(a) *Sup, illud To, in die repleatur.*